

notescunt etiam Peripateticis, & operationes sunt formarum, vt alibi dicunt, consequens est, vt hæc sint principia, neq; fiat aliorum instrumenta, si admodum sui omnia operantur, non aliorum, nec si alia non innotescunt, alia ponantur, vt sequens manifestabit concertatio, nec quidem formæ, quæ in materia regnant alijs formis pro organis vtantur, nisi solum materiæ ad sui modum à se actis; Secus quamlibet formam fingere possem in subiecto, illamq; ignotam ponens, vt tentem alijs, quæ apparent: vnde incondecentia proferunt multi Peripatetici moderniores. hæc igitur, duo contraria sint principia omnibus manifesta, omnia agere visa, quippe quæ non fiunt ex alijs, non ex alterutris, & omnia ex eis: ex his quidem ritè prima cõtraria esse principia docuit Arist. oportere quoque esse contraria inde colligamus, quod secus ageret nihil (nec quidem pro veritatis cognitione idem rursus demonstrare graue sit) nihil enim in seipsum agit, sed vt aliud simile efficiat, agit in contrarium, & patitur contrarium à solo cõtrario. Ideò Simplicius, & Aphrodisæus, quod non habent, inquit, contrarium, non patitur, nec generat. & sensus manifestat: vnde Arist. veteres coactos, vt contraria ponant, iudicat. Sed quoniam agens contrarium, vt efficiat simile, penitus simile efficere non potest resistente sibi contrario, hinc rerum oritur variatio, diuersitasque, quam oculis intuemur, in infinitum enim variatur eorum vires, & in tot, quot sunt res in mundo, & partes rerum: quem modum suis principijs duobus oportebat assignare Aristoteles, vel quatuor elementis. Contraria itaque duo sufficiunt ad omnium factiones, nec prima essent, nisi sint duo modò, itaque hæc duo statuamus oportet. Hæc autem semper maneant, at corrumpantur penitus nunquam, & in locis sint talibus, taliterque disposita, vt dum in inuicem agunt, paululum se imminuant, non tamen profus destruantur. Nec in eandem semper agant sui partem, secus enim ibi destruerentur, & alibi non fieret generatio. talia verò sunt sol, & terra, huius calor, huius frigus, hoc enim dicto modo sunt disposita, & præfata agunt ratione, & omnia ab his procedunt sic diuersificatis: hæc igitur sint principia, nec sunt est opus priora his, quæ regnant in primis corporibus, secus nõ essent prima corpora prima, vel realium essent principia imaginaria, prima autem corpora cælum sunt, & terra, vt amplius in disp. 3. & 4. manifestabimus; & Arist. si realia inuenit principia actiua omnium, hæc sunt in rebus summè est necesse, & in primis entibus, & priuatio sit contrarium ignobile, scilicet, frigus, & habitus cõtrarium nobile, scilicet calor, quod ipse infinites confessus est Aristoteles. Itaq; Aristotelis sententia adducamus ad hoc, & testimonia suorum, & reprobationes malè interpretantiũ verba illius, deinde de materia tertio principio iuxta nostram, & antiquorum adducamus scientiam. At prius, vt sententia Aristotelis elucescat, vnde sumpta est, antiquorum de contrarijs dicta exponamus.

1. phy.